Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 307
Quelle:
Copyright:

aquas plurimas redundauit. Hester X°. Atque ex hoc principio, licet nomen Autoris in *Codice* non adpareat, liquet, illum *Petri de Pulka* opus esse; ab eodem enim Textu orditur is sua *in I. ad Corinthios Commentaria*, ut infra videbimus. Tempus scriptionis e calce manifestum fit: *Anno 1412. 9. die Nouembris. lecta 15. die decembris.*

Codicem antice vestit Membrana mutila hebraica priore columna exhibens Textum *Job* c. 42. v. 9 — 16. altera *Proverb.* c. 1. v. 4 — 18. bene exaratum, atque punctatum. Juvat cum *Foppenio* in *Dedicat. Opp. Diplom. Aub. Miraei* non semel ingemiscere fato ejusmodi Monumentorum,

Quae pietas antiqua dedit, rudibusque figuris
In levi pinxit corio mansura per aevum
(Sic certe voluere) et erant mansura per aevum
Omnia, Custodum ni turpis inertia tradat
Muribus aut blattis, aut Ignorantia scindat
Forfice luxurians.

CCVIII.

U. 187 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 343. ejusdem cum praecedente conditionis, et ab eodem *M. Petro de Pulka* eidem *Librariae* legatus complectitur Ejus *Dubia super Epistolam ad Romanos*, ut praefert Titulus a manu coaeva adfixus. Ineunt: *Hic dubitatur primo an beata virgo Maria mater Christi et consequenter Christus descenderint de stirpe dauidica* &c. Vide et Codices sequentes.

CCIX.

U. 186 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 311. 4. currente calamo perscriptus et olim legatus *pro libraria Collegij Ducalis in Wienna* a *M. Petro de Pulka* T. D. de quo Viro celebri et *Conspectus Hist. Univ. Vien.* et *Pars I. Scriptorum* ejus p. 95. agit, et nos frequenter meminimus, complectitur ejus *Commentaria scholastica in I. Pauli ad Corinthios Epistolam* hoc ingressu: *Transmeato iam duce domino primo fluuio maximo et altissima diuine sapientie abysso Epistola videlicet beatissimi Pauli ad Romanos, nunc ejusdem me conconfortante gratia secundum aggrediens fluuium transuadandum Epistolam videlicet ad Corinthios* &c. Finito Prooemio exponitur etiam Argumentum illud: *Corinthij sunt achaici* &c. Commentaria autem sistunt ad Epistolae ipsius Caput *ult.* seu XVI. cujus non nisi V. 1. adscriptus est.

CCX.

Codex praecedenti per omnia U. geminus, Folior. 416. complectitur *Dubia per Venerabilem et Eximium Artium et sacre pagine professorem Magistrum Petrum de*